

# QVINTI HORATII FLACCI



## LIBRI I SERMO IX

*Iōannēs Paulus Ferdinandī Flūminis sive Murgensis  
modō Iōhannis Oerbergis composuit.*

Hoc opus consignatum est sub [Creative Commons diplomate](#)



nescio-*quid* = aliquid  
*suāviter adv* < *suāvis*  
*cupiō omnia quae vīs: tibi*  
*sum, tē serviō*  
*ad-sectārī = continuō sequī*  
*num-quid*

*nōris: nōveris coni perf*  
*volō ut nōris mē: doctus sum*

*ībam, cōsistēbam, dīcēbam*  
*puerō: servō*  
*Bōlānus -ī m*  
*cerebrum: īra*  
*cerebrī: cerebrī causā*

*garrīre = diū et nimium loquī*

*iam-dūdum*  
*nīl agis: frustrā agis*

*nīl habeō quod agam: ōtium*  
*est mihi, ōtiōsus sum*

*aurīcula -ae f= parva auris*  
*gravius: valdē grave*  
*su-bi-it-o-nus (t nōn iungitur*  
*o: syllaba it est longa)*  
*Viscus -ī m*  
*Varius -ī m*  
*facere: aestimāre*

## GRAVIS COMES

[*Ex Q. Horātii Flaccī ‘Sermōnēs’ librō I, sermō IX*]

ībam forte viā sacrā, sicut meus est mōs,  
 nescioquid meditāns nūgārum, tōtus in illīs.

Accurrit quīdam nōtus mihi nōmine tantum,  
 arreptāque manū: “Quid agis, dulcissime rērum?”

“Suāviter, ut nunc est” inquam, “et cupiō omnia  
 quae vīs.” 5

Cum adsectārētur, “Numquid vīs?” occupō, at ille

“Nōris nōs” inquit, “doctī sumus.” Hīc ego “Plūris  
 hōc” inquam “mihi eris.” Miserē discēdere quaerēns

īre modo ōcius, interdum cōsistere, in aurem

dīcere nescioquid puerō, cum sūdor ad īmōs 10

mānāret tālōs. “Ō tē, Bōlāne, cerebrī

fēlicem!” āiēbam tacitus, cum quidlibet ille

garrīret, vīcōs, urbem laudāret. Ut illī

nīl respondēbam, “Miserē cupis” inquit “abīre:

iamdūdum videō; sed nīl agis: usque tenēbō, 15

persequar! Hinc quō nunc iter est tibi?” “Nīl opus est tē

circumagī: quendam volō vīsere nōn tibi nōtum;

trāns Tiberim longē cubat is, prope Caesaris hortōs.”

“Nīl habeō quod agam et nōn sum piger: usque

sequar tē.”

Dēmittō auriculās, ut inīquae mentis asellus 20

cum gravius dorsō subiit onus. Incipit ille:


“Sī bene mē nōvī, nōn Viscum plūris amīcum,

nōn Varium faciēs. Nam quis mē scrībere plūris

aut citius possit versūs? Quis membra movēre  
 25 mollius? Invideat quod et Hermogenes ego cantō.”  
 Interpellandī locus hīc erat: “Est tibi māter,  
 cognātī, quīs tē salvō est opus?” “Haud mihi  
 quisquam:  
 omnīs composuī.” “Fēlīcēs! Nunc ego restō:  
 cōnfice; namque īnstat fātum mihi triste, Sabella  
 30 quod puerō cecinit mōtā dīvinā anus urnā:  
 «Hunc neque dīra venēna nec hosticus auferet ēnsis  
 nec laterum dolor aut tussis nec tarda podāgra;  
 garrulus hunc quandō cōnsumet cumque: loquācēs,  
 sī sapiat, vītet, simul atque adolēverit aetās.»”  
 35 Ventum erat ad Vestae, quartā iam parte diēi  
 praeteritā, et cāsū tum respondēre vadātō  
 dēbēbat, quod nī fēcisset, perdere lītem.  
 “Sī mē amās” inquit “paulum hīc ades.” “Inteream sī  
 aut valeō stāre aut nōvī cīvīlia iūra;  
 40 et properō quō scis.” “Dubius sum quid faciam”  
 inquit,  
 “tēne relinquam an rem.” “Mē, sōdēs.” “Nōn faciam”  
 ille,  
 et praecēdere coepit. Ego, ut contendere dūrum  
 cum victōre, sequor. “Maecēnas quōmodo tēcum?”  
 hinc repetit: “Paucōrum hominum et mentis bene  
 sānae.  
 45 Nēmō dexterius fortūnā est ūsus. Habēres  
 magnum adiūtōrem, posset quī ferre secundās,

Hermogenes -is *m*  
 nes-e-go (*s* non iungitur  
*e*: syll. *nes* est longa)  
 locus: occasiō  
 quīs: quibus

composuī: sepelīvī  
 Sabellus -a -um = Sabī-  
*mē* puerō [nus  
 dīvinus: quī praedīcit  
 mōtā urnā: p̄rimum ura  
 movētur, deinde sors  
 ex eā sūmitur  
 hosticus -a -um = hostis  
 latera: pulmōnēs  
 podāgra -ae *f* = morbus  
 quō pedēs fiunt turgidī  
 garrulus -a -um = loquax  
 quandō cumque = quan-  
 dōcumque = aliquandō  
*aedem* Vestae  
 vadārī = aliquem cōge-  
 re ut in iūdicīo adsit  
 resp. vadātō = vas esse  
 sī mē amās: tē orō ut  
 ades: adiuvēs  
 mē | amās (-ē corripitur  
 neque ēlīditur)



tussis -is  
*f*  
 rem: lītem  
 sōdēs = sī vīs  
 : dūrum *est* contendere

: quōmodo *agit*  
*est* paucōrum hominum:  
 lectōs amīcōs habet  
 dexterē: callidē  
 adiūtōr -ōris *m* = quī  
 adiuvat  
 secundās *partēs*: secun-  
 dam persōnam scaenae

## Q. HORATII FLACCI LIBRI I SERMO IX

trādere: commendāre  
 dis-peŕire = peŕire; dispere-  
 am = malum mihi  
 omnīs: omnēs  
 istō modō  
 rēre: rēris  
 domus: grex hominum  
 of-ficere = nocēre, afficere  
 officit quia dītiōr est: officit  
 dītiōrem esse  
 ūnī cuique: ūnīcuique  
 crēdibilis -e < crēdere  
 sīc habet: sīc est  
 : sī vīs, eum tua virtūte ex-  
 pugnābis  
 est *eōrum* quī vincī possunt  
 eō: ideō  
 difficilīs: difficilēs  
 dērō: deerō  
 mihi deerō: dēsistam

tempora: occāsiōnem  
 trivium -ī *n* = locus urbis  
 frequēns  
 dēdūcam: persequar

pulchrē: bene  
 ve-nis-et (*s* non iungitur *e*)  
 vellere vulsisse vulsum =  
 trahere (bracchiīs)  
 pressāre = premere  
 nūtāre = caput movēre ad  
 aliquid significandum  
 dis-torquēre -torsisse -rsum  
 = hūc illūc vertere  
 salsus -a -um = iocōsus  
 dissimulāre: dissimulābat  
 bīlis -is *f* = īra  
 meum iecur ūrēbat bīlēs:  
 Irātus eram  
 sabbatum -ī *n* = fēstus diēs  
 Iūdaeīs  
 vīn tū...?: num vīs...?  
 curtus -a -um = amputātus  
 op-pēdere = dērīdēre  
 rēligiō: religiō

hicine haecine hocine = ne  
 hīc, num hīc  
 surrēxe: surrēxit: ortus est

hunc hominem vellēs sī trādere. Dispeream, nī  
 submōssēs omnīs!” “Nōn istō vīvimus illīc,  
 quō tū rēre, modō: domus hāc nec pūrior ūlla est  
 nec magis hīs aliēna malīs. Nīl mī officit” inquam 50  
 “dītiōr hīc aut est quia doctior; est locus ūnī  
 cuique suus.” “Magnum nārrās, vix crēdibile.” “Atquī  
 sīc habet.” “Accendis quārē cupiam magis illī  
 proximus esse.” “Velīs tantummodo, quae tua virtūs,  
 expugnābis: et est quī vincī possit, eōque 55  
 difficilīs aditūs pŕīmōs habet.” “Haud mihi dērō:  
 mūneribus servōs corrumpam; nōn, hodiē sī  
 exclūsus fuerō, dēsistam; tempora quaeram,  
 occurram in triviis, dēdūcam. Nīl sine magnō  
 vīta labōre dedit mortālibus.” Haec dum agit, ecce 60  
 Fuscus Aristius occurrit, mihi cārus et illum  
 quī pulchrē nōsset. Cōnsistimus. “Unde venis?” et  
 “quō tendis?” rogat et respondet. Vellere coepī  
 et pressāre manū lentissima bracchia, nūtāns,  
 distorquēns oculōs, ut mē ēriperet. Male salsus 65  
 rīdēns dissimulāre — meum iecur ūrere bīlīs.  
 “Certē nescioquid sēcrētō velle loquī tē  
 āiēbās mēcum.” “Meminī bene, sed meliōre  
 tempore dīcam. Hodiē trīcēsima sabbata. Vīn tū  
 curtīs Iūdaeīs oppēdere?” “Nūlla mihi” inquam 70  
 “rēligiō est.” “At mī. Sum paulō īnfīrmior, ūnus  
 multōrum. Ignōscēs, aliās loquar.” Huncine sōlem  
 tam nigrum surrēxe mihi! Fugit improbus ac mē

sub cultrō linquit. Cāsū venit obvius illī  
 75 adversārius et “Quō tū, turpissime?” magnā  
 inclāmat vōce, et “Licet antestārī?” Ego vērō  
 oppōnō auriculam. Rapit in iūs: clāmor utrimque,  
 undique concursūs. Sīc mē servāvit Apollō.

## COMMENTARI

Hoc est iocōsum Horātiī poēma in quō nārrat dē gra-  
 vī virō, quī eum pertināciā cruciat amīcitiā iungere  
 cōnāns ut cum Maecēnātis domō sē coniungat. Horā-  
 tius optimē epicōrum poēmatum vocābulīs ūtitur ita-  
 que rem in certāmen cum eō convertit memorem eius  
 inter Hectorem Achillemque Homēri Īliadis. Ad hoc  
 crēbrī iocī et vīs cōmica faciunt hoc poēma omnīnō  
 lūdibrium quō gravis comitis vitia castīgantur, ut sa-  
 turārum Rōmānārum est. Poēma in partēs trēs dīvidi-  
 tur, quās iam iam vīsēmus.

### *Pars prīma: arreptus (vv. I-XXI)*

Ambulābat Horātius tranquillus, cum vir quīdam ad  
 eum adit; tum proelium inītur: hostis nōn adit, sed  
 accurrit et arripit manū; nōn sequitur, sed persequitur  
 ‘quō iter est’ Horātiō. Quī fallāx fugam parat, neque  
 hostem fallit, quārē bellum pergit in parte īnsequente.  
 Ab initiō Horātius quidem urbānus est, tametsī nōn  
 ita alter, quī summā ope temptat; tamen quaedam  
 eius rīdicula verba notanda sunt: cum vir eum quaerit

: adversārius lītis  
 quō tū *vādīs?*  
 antestārī = testis esse in  
 iūdicīō  
 oppōnō auriculam: vidē  
 commentāriōs  
 iūs: iūdicium

perinācia -ae *f* = iterātiō  
 (-ōnis *f* < iterāre) gravis

epicus -a -um = (poēma)  
 dē glōriōsīs rēbus ges-  
 tīs

iocus -ī *m* = lūdus

arreptus: repente captus

‘quid agat’ respondet “suāviter, ut nunc est” futūrum postea nōn suāviter esse praedicēns; itemque “cupiō omnia quae vīs” est urbānum respōnsum, at verbī “vīs” alterius sēnsūs iterātiōne iocōsus lūdus sequitur: “numquid vīs?” Deinceps vir dicit ‘sē doctum esse’ et Horātius respondet ‘plūris hōc sibi futūrum’, quod duplex est, significet enim aut plūris eum aestimāre aut pēius quam esse ait futūrum. Postrēmō, quoniam fugam capere nōn potuit, grave onus, quod est vir iste, ut asellus, dorsō subit. At virī nōmen praetermittit nē ab ūllī sit quidem suīs scriptīs nōtus, nam tālis fāmam nōn meret.

*Pars secunda: victus (vv. XXI-XLIII)*

Ōrditur vir dīcere omnia quae māximē dēspicit Horātius: versūs scrībere multōs aut citō, quod scrīptōrum quōrundam poēta in aliīs saturīs spernit, in iīs Lucīlii et Crispīnī, dē quō iam in prīmō sermōne lēgimus — ultimum versum prīmī librī ultimī sermōnis iocōsē scrīpsit hoc: “Ī, puer, atque meō citō subscribere libellō”, dērīdēns eōs quī tantummodo multa scrībunt ut quam māxima addant scrīpta acervō, quippe cum cōpiam virtūte atque ingeniō misceant (idque quidem avāritiae modī est) —; membra movēre molliter et melius quam Hermogenes cantāre, quem Horātius ūnius

subscribe: adde

assis aestimat, ut in aliīs suīs saturīs docet, ideōque quod ā sordidō virō laudātur; tandem glōriōsē agere, quod auctor in poēmatibus saepe dērīdēt. In epistulā septimā et decimā prīmī librī legitur hoc:

*Omnis Aristippum decuit color et status et rēs,  
temptantem māiōra, ferē praesentibus aequum.*

Et iam dē fine quaerendī legimus in Horātiī prīmō sermōne:

*quōque habeās plūs,  
pauperiem metuās minus et finīre labōrem  
incipiās partō quod avēbās.*

Quae monent glōriam et avāritiam cōire: glōriōsus iīs, quae sibi et sunt et dēsunt, superbit; avārus cupit quae sibi dēsunt, ut iīs glōriārī possit. Exindē glōriōsus avet, avārus interdum glōriārī quaerit.

Cum Horātius glōriōsōs nōn ferret, interpellat virum quaerēns num quis sit eī familiāris; virō negante, epicō sōliloquiō ait fēlicēs esse quōs iam garrulus sepelīvit, similiter ac ille Aenēās:

*Ō terque quaterque beātī,  
quīs ante ōrā patrum Trōiae sub moenibus altīs  
contigit oppetere!*

Aristippus -ī m  
temptantem: cum temptāret  
: rēbus praesentibus contentum

superbīre = superbus esse  
ex-indē

sōliloquium -ī = quod aliquis sibi ipsī dicit

terque quaterque beātī: beātissimī  
quīs: quibus  
contigit: sorte accēdit  
op-petere = interfīre

imitātiō -ōnis f< imitārī

Ut Aenēās tempestāte iactātus mālēns in bellō Trōiānō quam in undīs periisse, sīc māvult Horātius mortuum esse potius quam garrulī supplicium patī. Deinde ab rīdiculā imitātiōne ad ōrāculī locum trānsit, in quō vātēs dērīdet.

theātrālis -e < theātrum

Tempus agit, cum id victōriae praebet occāsiōnem, nam vir respondēre vadātō dēbēbat. Prīmum dubitat nesciēns utrum relinquat Horātium an lītem. Horātius hīc urbānē agere pergit rogāns ut dēsistat, sīcut autem prīncipiō id nēquīquam fēcit, ita nunc idem ēvenit, gravis enim comes verbīs cōmibus nōn offīcitur: vir rem relinquit et praecēdit; at victus eum sequitur, nam “contendere dūrum [est] cum victōre”. Cōmica quidem est scaena: poēta nōn tantum opera epica imitātur, sed etiam theātrālia.

ambitiō -ōnis f= potestātis cupīdō

rē-icere = repellere

*Pars tertia: līberātus (vv. XLIII-LXXVIII)*

Vir, prīmī proeliī victōre, repetit interrogāns dē Maecēnāte, quod mentem Horātiō patefacit: modum Maecēnātis domum intrandī garrulus quaerit Horātium eī prīncipem esse adiuvandō. Poēta tum eī explānat domum esse ambitīōne et coniūrātiōnibus vacuam. Cum sīc eius cupīdinem accendat, iterum Horātius temptat eum rēicere dīcēns solā eius virtūte Maecēnātem expugnātūrum esse. Reddit poēta ad vocābula bellica: “[Maecēnas] est quī

vincī possit, eōque difficilīs aditūs prīmōs habet.” Vir hīc molestus ēloquitur quōmodo Maecēnātem excruciet quoad ab eō admittātur, nec vērō discēdit.

Cāsū Fuscus Aristius, Horātiī amīcus, occurrit, quod aliam occāsionem fugae reddit. Cui sē ēripere velle significat et aliquid sēcrētō sibi dīcere amīcum velle fingit ut ā virō molestō recēdat; tamen Fuscus iocōsē fingit fēstum diem Iūdaeōrum (trīcēsima sabata) sēcrētō loquī recūsāns nē Iūdaeī trāscentur. Sīc socius bellī fugit et miserum Horātium dēserit.

Tum vērō adversārius garrulī venit eum quaerēns et rapit in iūs. Nisi quis vadimōnium obībat vadātō, nē differētur, petītor iūre adīre cōgere poterat in cōnspectū testis; dein testis ā petītōre rogābātur sīc: “Licet antestārī?” Sī testis āiēbat, petītor eius auriculam tangēbat, quia, ut ait Plīnius, “est in aure īmā memoriae locus, quem tangentēs antestāmur.” Ideō quod Horātius oppōnit auriculam, quod assentīrī ut testem sit significat.

Hoc tumultum affert, quod Horātius mīlītārīter dēscribit: “clāmor utrimque, undique concursūs.” Per occāsionem tandem sē ēripit et ait ab Apolline servātum esse, quod alia certāminis inter Hectorem atque Achillem est memoria, nam ille deus in mediō proeliō Hectorem ab Achillī ēripuit. Atque Apollo deus est poētārum.

vadimōnium -ī n = prōmissum veniendī in iūdicium pecūniā firmātum (nisi vadimōnium quis obit, pecuniam āmittit)  
vadimōnium obīre: in iūdicio adesse  
petītor -ōris f = quī ab aliquo aliquid petit in iūdicio

recapitulātiō -ōnis *f*= sum-  
ma capitulōrum  
iocārī < iocus  
fallācia -ae *f*< fallāx

aurīcula  
tussis  
podāgra  
adiūtōr  
trivium  
bīlis  
sabbatum  
pentinācia  
īterātiō  
iocus  
sōliloquium  
imitātiō  
ambitiō  
vadimōnium  
petītōr  
recapitulātiō  
fallācia  
hosticus  
garrulus  
crēdibilis  
salsus  
curtus  
epicus  
theātrālis  
adsectārī  
garrīre  
vadārī  
disperrē  
officere  
vellere  
pressāre  
nūtāre  
distorquēre  
oppēdere  
superbīre  
oppetere  
rēicere  
iocārī  
hicine haecine  
nescioquid  
suāviter  
numquid  
iamdūdum  
quandōcumque  
sōdēs  
exindē

*Proeliī recapitulātiō*

Ut suprā dīximus, Horātius iocātur epica poēmata  
sīc imitāns, ut virī molestī ēventum in proelium  
convertit vocābulīs mīlītāribus. Nunc proelium  
vīsēmus hoc:

v. III: vir accurrit et Horātium arripit.

v. VI: vir adsectātur Horātium. Quī eum occupat.

vv. VIII-XI: Horātius discēdere temptat, sed vir  
eum adsectārī pergit.

vv. XVI-XVIII: prīmus cōnātus fugae: fallācia in-  
ūtilis.

vv. XXII-XXV: vir impetum facit.

vv. XXXVI-XXXVII: occāsiō victōriae: lītis virī.

v. XLI: Horātius victus.

vv. XLIV-XLVIII: vir repetit.

vv. XLVIII-LVI: Horātius resistere temptat.

vv. LVI-LX: vir impetum pergit.

v. LX: Fuscus socius Horātīī occurrit.

v. LXXIII: Fuscus fugit. Horātius fermē dēvictus.

vv. LXXIV-LXXVII: adversārius virō venit ob-  
vius et eum rapit.

v. LXXVIII: garrulus victus. Fugam Horātius ca-  
pit.